

*Vergil's Aeneid II.735-759*

“Hic mihi nescio quod trepidō male nūmen amīcum 735  
cōnfūsam ēripuit mentem. Namque āvia cursū  
dum sequor et nōtā excēdō regiōne viārum,  
heu miserō coniūnx fātōne ērepta Creūsa  
substitit, errāvitne viā seu lapsa resēdit,  
incertum; nec post oculīs est reddita nostrīs. 740  
nec prius āmissam respexī animumve reflexī  
quam tumulum antīquae Cereris sēdemque sacrātam  
vēnimus. Hic dēmum collēctis omnibus ūna  
dēfuit, et comitēs nātumque virumque fefellit.  
Quem nōn incūsāvī āmēns hominumque deōrumque, 745  
aut quid in ēversā vīdī crūdēlius urbe?  
Ascanium Anchīsēnque patrem Teucrōsque Penātēs  
commendō sociīs et curvā valle recondō;  
ipse urbem repetō et cingor fulgentibus armīs.  
Stat cāsūs renovāre omnēs omnemque revertī 750  
per Trōiam et rūsus caput obiectāre perīclīs.  
Principiō mūrōs obscūraque līmina portae,  
quā gressum extuleram, repetō et vēstīgia retrō  
observāta sequor per noctem et lūmine lūstrō:  
horror ubīque animō, simul ipsa silentia terrent. 755  
inde domum, sī forte pedem, sī forte tulisset,  
mē referō: inruerant Danaī et tēctum omne tenēbant.  
Īlicet ignis edāx summa ad fastīgia ventō  
volvitur; exsuperant flammae, furit aestus ad aurās.”